Cohen, Hermann
Philosophorum de antinomia neces
sitatis et contingentiae doctri-
nae.

Cohen Hermann

PHILOSOPHORUM DE ANTINOMIA NECESSITATIS ET CONTINGENTIAE DOCTRINAE.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. XXVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXV. (1865)

HORA X.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS COHEN,

ANHALTINUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. LEWANDOWSKY, MED. CAND.

R. KAUTZLEBEN, PHILOL. STUD.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

[1865]

PARENTIBUS OPTIMIS DILECTISSIMIS

GERSON COHEN
FRIDERICA COHEN

SACRUM.

Aristoteles veteres philosophos non eo modo de casu disseruisse dixit, ut eum mundi haberent principium. Recte hoc quidem! Etenim de casu cogitationem dubitatio antecedat necesse est, quae apud eos, qui ante Platonem floruerant, nimis subjectiva erat, sicuti Hegelius[1] sagacissime dixit, quam quae totum rerum ordinem ad contingentem quandam referret causam. Cum autem de casu cogitatio, vel, ut Kantii utar sententia, antinomia necessitatis et contingentiae, si quidem sempiterna atque nativa mentis humanae est proprietas, totam quaerendi rationem ideoque omnem philosophiam pepererit atque excitaverit, de contingentia meditatio illos quoque viros ad rerum naturam investigandam impulit atque inflammavit, qui quanti aestimandi essent, Boeckhius[2] hortatus est, et quorum quaestionibus naturalibus Alexander ab Humboldt[3] summam tribuit laudem. Meditatio de casu omnia illa comparavit cogitandi molimenta, quae in gravissima illa admiramur serie, quae inde a Thalete usque ad Anaxagoram ducitur. Meditatio de casu et Democritum et Heraclitum incendit, ut rerum perquirerent vim et naturam, utrum essent necessariae an contingentes. Ad quod quam verum sit demonstrandum, liceat nobis, philosophiam quae ante Socratem viguerat, brevi exponere, ut quid spectaverint illi et a quibus principiis sint profecti, clare eluceat.

Philosophiam quae Socratem antecesserat, physicam fuisse vulgo putant; quae quidem ad modum reducta haud rejicienda est sententia; haec tamen non valet definitio, si intellegere volueris, quomodo prior illa cum posteriore cohaereat et ab ea differat philosophia, e. g. Aristotelis, qui et ipse physicum sese praestitit et philosophi speciem in physico vidisse videtur,

---

[1]) Gesch. d. Philos. I, 124 sq. [2]) Philolaus, p. 109 adn. [3]) Kosmos I. p. 87.

si ejus respicere licet conditiones, quibus physicum, qui aut qualis sit definivit. Attamen magna inter duas illas epochas, hac ratione comparatas, intercedit differentia, quae viam ac rationem quaerendi clarius atque acrius disjungit et secernit. Quid? Aristoteles veteribus animi quem *νοῦν* vocat, ideam defuisse docet, quae sub finem demum hujus periodi ab Anaxagora, inacurata quadam significatione in lucem edita est. Statim ab initio haud recte facta esse videtur haec distinctio; quamvis enim vocem *νοῦν* non usurpent, multis aliis etsi non tam distinctis utuntur ideis, quarum modo *θεῖον*, modo *θεός*, modo *δαίμων*, ita ut spirituale quoddam aut certe incorporale ens habuisse veteres videantur. Sed tali de animo sententia, qualem Platone duce exposuit Aristoteles, secundum quam individualis et subjectivus esset animus, qui compositionem quandam et connexum indicat ex eo, quem *νοῦν ποιητικόν*, quatenus immortali cogitandi facultate praeditus est, cum eo quem *νοῦν παθητικόν* dixit, tali de animo sententia eos caruisse libenter concedimus. Hic *νοῦς* iis deest, itaque deest psychologica illa quaerendi via ac ratio, quae sola, quantum subjectum et objectum, idea et phaenomenon, inter sese distarent atque differrent, proposuit atque declaravit, id quod superior illa non tam physica quam antipsychologica veterum philosophia poëtico quodam praesagio divinavit, sed neque ad artem redigere nec constanti quadam critica methodo vel speculatione exponere potuit. Quod quam verum sit judicium, Thales ipse, *ἀρχηγὸς τῆς φιλοσοφίας*, declarat. Qui cum Graecus esset verus et sincerus, ideam Dei cum idea mundi nequaquam ita commiscuit, ut rerum naturam et physices et philosophiae via ac ratione perquirere nollet. Quamquam *κόσμον δαιμόνων πλήρη* vocat, (Stob. Ecl. I. 56) ad unum quoddam nascendi principium rerum rettulit varietatem, quod principium aquam esse judicavit. Quatenus aquam motus tantum symbolum intellexerit, in medio relinquendum est: id tamen constat, de movendi initio, sive de casu ipso prorsus nihil dixisse Thaletem, quem nihilominus necessitatis idea multum commovit atque excitavit. Vestigiis potius, quae ad talem ideam reducere videntur, apud eum occurrimus, quem vulgo illum secutum esse arbitrantur, Anaximandrum, qui primus vocibus *ἀπείρου* et *ἀρχῆς* usus est. Magni facimus, duas illas voces ab eodem

simul philosopho in artis doctrinaeque expositionem esse introductas. At Aristoteles infiniti conceptum eo, quo postea habitus est sensu, illum recepisse negat, infinitam quandam potius materiam voce illa significasse, ita ut intelligere possimus, quo pacto cum *ἀπείρου* ideam *ἀρχῆς* conjungere potuerit. Namque cum materiae illi infinitae motus simul vim tribuisset, (*καὶ περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν*) quae res gigni jubet, rerum principium illam vim vocat, quod ipsum infinitum est. Sicuti vero ex hoc omnia nascuntur principio, ita in idem reverti opus est, cum omnes res poenas dare debeant injuriarum secundum temporis ordinem[1]) Simplicius quidem ipse pronuntiat, Anaximandrum hoc *ποιητικωτέροις ὀνόμασιν* dixisse; sed tantum certe ex iis apparet, casum et contingens eum negasse. Namque si ethicam illam justi ideam ad naturam etiam adhibuit, poëtica enunciatione quamvis depressam ac detractam, tantum quidem cogitationis summa restat, ut intellegere possimus, invariabilem eum docuisse ordinem e sempiternis necessitatis legibus, id quod casus assumptionem prorsus excludit. Ad eum omnino parati simus oportet quaestionis finem, in tota quae Socratem anteibat, philosophia, ideam nostram perlucere tantum, nusquam tamen certam quandam recepisse formam ac figuram. Nonne abhorreat necesse est contingentis sententia ab ea aetate, quae neque ipsa frustra acumine mentis dimicaverat, neque majores frustra in talibus dubitationibus diu haerentes viderat? An epica poesis periodus secuta est dramaticam vel lyricam? Quocirca idea nostra, classica quam vocamus periodo jam perfecta, qua gravissima producta sunt philosophorum systemata, emergere potuit. Sed dignum nobis visum est ac necessarium, ut contemplemur ac brevi exponamus, quemadmodum ante Platonem et Aristotelem alia quadam ratione, negaverint casum philosophi. Quam ad rem expediendam, ceteros quoque philosophos, quatenus de casu etiamsi abscondite disputaverint, perquiramus. Anaximenes quidem, *ἑταῖρος Ἀναξιμάνδρου καὶ πολίτης*,

---

[1]) Simplic. phys. 6, a: *ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίνεσθαι κατὰ τὸ χρεών. διδόναι γαὶ αὐτὰ τίσιν καὶ δίκην τῆς ἀδικιας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν.*

haud multum procedit, qui aëra principium dixerit, quippequi totum complectatur mundum. Magis ad nostram antinomiam referendus esse videtur Diogenes Apolloniates, quem Anaxagorae adversatum fuisse multis placuit.[1]) Aëra et ipse rerum duxit principium, cujus principii definito multum ab illis attributis differt, quae ab atomisticis aëri dari solent. Ceteris posthibitis elementa ipsa ut aequa sint postulat, quoniam paria e paribus nasci et in unum par dissolvi possint.[2]) Porro aëri cogitationem et scientiam attribuit, vel si rectius id percipimus, humani animi actiones et phaenomena ad magnum illum naturae ordinem adhibet, ita ut ordine in rerum compositione cognito teleologicis contemplationibus sese dederit.[3]) Qua cum ejus sententia plane convenit quod ab aëre hominum et vitam et conscientiam dependere dixerit. Namque perpetuum fundamentum est quin etiam instrumentum ordinis cujusdam necessarii rerum, itaque ens est subtilissimum atque motus cujusque causa ac principium.[4]) Nec pugnat, quod in rebus singularibus physica ratione investigandis dynamicam, quam vocamus, rationem legitimi cujusdam ordinis non semper obtinuit ideoque, si quidem Plutarcho (plac. phil II, 8, 1.) confidere licet, inclinationem poli septentrionalis ad terram ἐκ τοῦ αὐτομάτου factam esse est arbitratus. Etiamsi haec eum dixisse negari non possit, eo tantum antinomiam nostram aliquantum illum profecisse opinamur, quod rerum conditiones ad finem quendam referendas esse et ad certum pertinere ordinem, secundum quem omnia moverentur, primus arte ac doctrina disseruit. In novam igitur nos introducit philosophiae periodum, quam incipiunt Pythagorei, qui quidem in nostra

---

1) Zeller, Philos. d. Griech. ed. alt. I, p. 202—205.

2) Fr. 2. Simplic. Phys. 32, b. Panzerb. p. 35. ἐμοὶ δὲ δοκέει, τὸ μὲν ξύμπαν εἰπεῖν, πάντα τὰ ἐόντα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιοῦσθαι καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι καὶ τοῦτο εὔδηλον.... ἀλλὰ πάντα ταῦτα ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιούμενα ἄλλοτε ἀλλοῖα γίγνεται καὶ ἐς τό αὐτὸ ἀναχωρέει

3) οὐ γὰρ οὕτω δέδασθαι (τὴν ἀρχὴν) οἷόν τε ἦν ἄνευ νοήσιος, ὥστε πάντων μέτρα ἔχειν κτλ 4) Arist de anim. I, 2, 405. a. 21. ed. Trendelenburg Διογένης δέ ὥσπερ ἕτεροί τινες, ἀέρα, τούτων οἰηθεὶς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχήν. καὶ διὰ τοῦτο γινώσκειν τε καὶ την ψυχὴν κτλ.

antinomia pertractanda principalem quandam ac spectabilem totius eorum operis collocaverint partem. Inter omnes enim constat Pythagoreos mundi legem habuisse numerum. Quae sola si nobis de Pythagoreis tradita esset sententia, ad indagationem proferendam atque promovendam multum eos contulisse quem fuget? qualitativas prius differentias in quantitativas dissolverunt, severissima lege, quae omnino cogitari potest, lege numeri, ordinatas. Aristoteles quidem hac sententia progressum fecisse agnoscit Pythagoreos, etsi confiteri debemus, ejus nos expositionem ad Pythagoreorum doctrinam psychologica ratione intellegendam non adduxisse. Mirum quantum doctissimus ille Zeller, qui in conditione inquirenda quae inter Platonem et Aristotelem intercedat, id concedere veretur, „multis, inquit, firmari potest argumentis, Aristotelem philosophorum qui ante eum vixerunt, verba et sententias non eodem connexu exposuisse quo apud illos essent.“! Sed nostra hoc quidem loco non interest ut quaeramus, num Pythagorei numerum revera substantiam, ens quoddam reale, cogitaverint, quod mundum realiter coërceat et regat. Neque enim ignoramus, haud raro, ut ait Herder, parabolam quandam novam atque inauditam, theorias produxisse audacissimas. Sed psychologica tantum via persequamur ac perscrutemur, quomodo sententia illa cogitandi rationem promoverit; hac tamen ratione spectata, Pythagoreorum doctrina etiam tum progressum quendam indicat, si — id quod certe dubitandum est — numerum ut reale mundi fundamentum, causam phaenomenon efficientem, percepissent. Namque hoc tantum demonstrasset, adeo illos de mundi legitimo atque ad numerum relato persuasos fuisse ordine, ut numerum ipsum vivi loco principii substantiam habere non dubitarent. Quid? Eo correpti sunt furore de mundi ordine sempiterno atque de omnium rerum convenientia, quam *ἁρμονίαν* dixerant, ut numeros impares, quia nec dividi nec finiri possent, ad normam perfecti formatos atque compositos esse duxerint, pares autem pro imperfecti signis habuerint.[1]) Quod nisi de pulchritudine atque

---

[1]) Eth. Nic. II, 5, 1106, 6, 29. *τὸ γὰρ κακὸν τοῦ ἀπείρου, ὡς οἱ Πυθαγόρειοι εἴκαζον, τὸ δὲ ἀγαθὸν τὸ πεπερασμένον.* —

ordine mundi cogitassent, fieri non potuit, ut tantas procrearent theorias, quarum systema decadicum, nec nisi finalem illum rerum intellexissent connexum, harmoniae doctrinam adeo pertractassent. Quantumcumque igitur de eorum et theologicis et ethicis sententiis ad nostra propagatum est tempora, quomodo hae disciplinae cum philosophia ipsa cohaeserint haud facile videmus nec facere possumus quin putemus, legem illam naturae insitam tam profunde ac perfecte intellexisse eos, ut ad exteros conceptus transire non debuerint; sed inter abstractam eorum speculationem ipsam legitimum illum ordinem construere potuerint. Consentaneum est quod sempiternae illius legis conscientia ducti mundi initium negaverunt, id quod Stobaeus (I, 450) memorandis illis verbis praedicat: *Πυθαγόρας φησὶ γεννητὸν κατ' ἐπίνοιαν τὸν κόσμον, οὐ κατὰ χρόνον.* Identidem Philolai fragmentum quoddam aeternum esse mundum docet; et etiamsi mundi animam, quamquam centralem ignem crediderunt, nondum accepisse videantur, magnam illam tamen a Platone in ejus qui Timaeus inscribitur libro tam graviter exornatam edidisse eos sententiam Aristoteles testatur, (Met. I, 5) mundum esse harmoniam. Legem quandam in astrorum motu praesagiverunt, septem planetae sunt coelestis heptachordi fides. Sed haec in medio relinquamus, commemorandum vero nobis est quod legis conscientiam scientiae principium esse dixerunt nec nisi persuasum haberent homines, mundum a lege quadam dominari, et hanc legem tam constantem esse, ut cognosci et intelligi posset, unquam investigare potuisse quidquam, et scientiam semet ipsam praecidere, si principalis illius fundamenti excluderet cogitationem, atque si tale moliretur, coactam esse ut fingeret atque simularet, hominum ipsorum non amplius interesse ejusmodi quaestionibus, vel etiam hominum studium ac. cupiditatem legis ultimae indagandae jam exstinctam esse. Eo putamus sensu intelligendum esse quod Philolaus, numerus, inquit, omnia intelligibilia reddit. (Fr. 18. Böckh. 139 sq. *ἄνευ δέ ταύτης* (sc. *τῆς δεκάδος*) *πάντα ἄπειρα καὶ ἄδηλα καὶ ἀφανῆ.* – Stob. Ecl. I. 18) Quid? n e c e s s i t a t e m ipsam statuit quae totum rerum ordinem contineret. (*Πυθαγόρας ἀνάγκην ἔφη περικεῖσθαι τῷ κόσμῳ.* Plut. plac. I, 25, 2.) Hac tamen necessitate universam illam ac

necessariam legem intelligi, ex eo patet quod Philolaus apud Diogenem (VIII, 85) *ἀνάγκην* et *ἁρμονίαν* simul commemorat, ita ut *ἀνάγκη* et *ἁρμονία* conjungenda sint atque eadem fere habeantur. Quae cum ita se habeant, recte judicasse nobis videmur, si in hac Pythagoreorum doctrina apertam quandam ac perspicuam oppositionem cognovimus contra illam de casu meditationem, ita ut habeamus, cur Pythagoreos multum ad antinomiam nostram enucleandam contulisse dicamus. Nova quae tunc exstitit philosophia profundius atque constantius hanc Pythagoreae abstractionis viam persequitur, donec ab Eleatica illa doctrina diversa quaedam quaerendi ratio, Sophistarum dico, aliis quoque tentatis philosophandi rationibus, contrariam pronuntiat doctrinam, quae paullo post, perniciosis tamen relictis operibus, a majoribus altioribusque cognoscendi studiis sublata atque repulsa est. Nullum vero aliud clarius nos docere potest systema philosophorum, quemadmodum necessarium sit ut contingentis idea e veterum expediatur philosophia, quam Aristoteles primus limatius atque elegantius pertractavit ac dijudicavit, quam Eleaticum illud, quod brevi principiis solis atque finibus respectis exponentibus nobis liceat. Nos quidem quoad propter virium temporisque exiguitatem hanc rem perquirere potuimus, Eleaticos philosophos de casu ipso acuratius disseruisse, non reperimus, sed quis nam hanc ideam, quomodo annis defluentibus processerit, tractare voluerit nisi ad Eleaticum recurrat systema? Nonne illorum et via ac ratio quaerendi, et qui ex ea percepti sunt cognoscendi fructus, adeo contra illam de casu ideam pugnant, ut hac potissimum doctrina acerrima, quae unquam exstitit, oppositio cerni possit contra contingentis ideam? (Postea ad hunc locum in Spinozae doctrina exponenda, quae ad hanc referenda est, revertemur.)

Communis et Eleaticis philosophis cum Spinoza orientalis quaedam philosophandi ratio, quae quamvis aliter ab aliis distincta philosophis, eadem fere norma atque eodem movetur principio, rerum naturam minus, id quod erat Jonicorum, in singulas disponere facultates causarumque eventus, sed tot tamque variarum facultatum vim rumpere et in unam omnes dissolvere, quae rerum naturam ut Deus amplectatur, aut Deum

ipsum in unita illa varietate constituat. Quarum rationum prior, quae erat Xenophanis, ad orientales propius accedit, posterior, quam docuit Parmenides, pantheistica, ad Graecos magis pertinet, neque a Spinozae multum distat doctrina. Quam ob rem Xenophanes, quem fundamenta jecisse constat excelso illi Eleaticorum systemati, acerrime prorsus contra multorum Deorum pugnat opinionem, ita ut praedicasse et defendisse unius Dei fidem non sine jure dici possit.[1] Itaque sicuti Moses, et ipse odit artes quae in rerum imaginibus versantur et Platonis more, sed, ut videtur, multo et severius et verius, de Homeri et Hesiodi de diis sententiis fert judicium. Cum igitur Xenophanes mundum ut Deum percipit, Deum ut mundum Parmenides. Mundus illi est, quod ens, aeternum, unicum vocamus. Extra esse nihil datur, ne in cogitatione quidem. cogitare et esse idem sunt. Quanta autem constantia sententiam suam de conditione quae inter Deum et mundum intercedat persecutus sit, ex eo cerni licet quod in iis quae ab eo litteris exstant, Dei nomen nusquam reperitur. Nullam statuit inter Deum quem dicimus, et mundum differentiam, hunc potius mundum quo solo omne contineatur esse, cum sphaera quadam comparat, in omnibus partibus aequabiliter composita.[2])

Eos secuti sunt Zeno et Melissus e quibus Zeno vel maxime arte ac ratione dialectica principia illa munivit atque firmavit. Ille multa moveri negavit, Melissus commendationem quandam atque intercessionem ad componendas cogitationis partes maxime oppositas conatus est. Sin igitur ab Eleaticis philosophis necessitatis doctrinam certo adhibito nomine nec terminatam neque editam vidimus, in eo tamen, qui acutissimo eos aggressus est ingenio, intelligi potest, quemadmodum proprium Eleaticorum principium summi cujusque mentem commoverit atque excitaverit et ejusmodi etiam viros corripuerit iisque persuaserit, vera quadam ipsos agitari ratione, qui a principiis plane diversis profecti ad diversos quoque pervenerint exitus; proprium autem Eleaticorum principium de necessitate

---

1) *εἶς Θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος*
οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος οὔτε νόημα.

2) *παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ.*

meditationem qui dixerit a veritate haud procul abesse mihi videtur, quam meditationem elegantius et limatius exposuit Heraclitus. Quin etiam illum Eleaticis revera oppositum fuisse non crederes, quippequi, principali philosophiae ejus perspecta ratione, quamvis aliis usus principiis, alia quoque via ac ratione, ad eadem tamen semper tendere, eadem appetere atque deposcere videatur. Si motum omnem prorsus negabant Eleatici, ille quidem omne esse. Mundus est *κυκεών*, qui concuti et versari continuo debet ne disjungatur[1]), et vim ad quam rerum natura revocanda est, cum puero quodam comparat, qui animi causa lapides projiciat.[2]) Quem motum ignem dicit[3]); et conditionem, qua omnia quae in hoc rerum volutantur turbine (*πάντα ἄνω τε καὶ κάτω ῥεῖ*) contineantur, contraria esse arbitratur[4]), ita ut bellicosa quaedam oppositio omnium rerum mater dicatur (*πόλεμος πάντων μὲν πατήρ ἐστι πάντων δὲ βασιλεύς*). Voces acutiores et graviores harmoniam componunt, masculum ac muliebre novam quandam vitam. Mundi compositio opposita tentione effecta est, sicuti arcus et lyrae.[5]) Sed cum omnia perpetuo dissociantur, in unum coëunt, et totius mundi convenientia consensusque e necessitatis lege constituitur.[6]) Haec est intima illa Heracliti cum Eleaticis connexio, ut ad eundem fere exitum atque illi eum pervenisse nemo admiretur. Haec enim necessitas, quae omnia regit et secundum quam res continuo defluunt, Deus est, qui ignis principium amplectatur itaque causam motus cujusque contineat:

---

[1]) Lucian vit. aut. 14. *ἔμπεδον οὐδὲν, ἀλλά κως ἐς κυκεῶνα πάντα συνειλέονται. .. ἄνω κάτω περιχωρέονται καὶ ἀμειβόμενα ἐν τῇ τοῦ αἰῶνος παιδιῇ.*

[2]) ib. *τί γὰρ ὁ αἰών ἐστι; παῖς παίζων, πεσσεύων, διαφερόμενος.*

[3]) Stob. Ecl. I, 282. *ἐκ πυρὸς γὰρ πάντα καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾷ* cf. Zeller, Philos. d. Griechen 2 Aufl. I, 459. qui hunc versum Xenophanem imitando effictum esse dixit.

[4]) *λέγων πάντα εἶναι καὶ μὴ εἶναι, γίνεσθαί τε πάντα κατ' ἐναντιότητα.* Diog. IX, 7. sq.

[5]) Plut. Is. c. 45. *παλίντονος γάρ ἁρμονίη κόσμου ὅκωσπερ λύρης καὶ τόξου.*

[6]) Plut. plac. I, 27. 468. *Ἡ. πάντα καθ' εἱμαρμένην, τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν καὶ ἀνάγκην.*

ergo materia, causa, lex in uno Deo constituta sunt. Quas autem sententias cum videamus, quantum cum Eleaticis conveniant, proprius simul ad Spinozam accedere quis negaverit, quîcum non solum re, sed verbis quoque congruere videantur, quippequi ipse de Deo, Dei intellectu disserat, cum Parmenidem terminos illos atque hujusmodi voces evitare atque declinare cognovimus. Itaque fit, ut Heraclitum non solum negasse, sed ad solidum quendam perfectumque finem doctrinam suam perduxisse putemus, cum in movendo ipso, quoniam in perpetuum continuetur, constans quiddam agnoscat necessitatisque legem clare et aperte praedicet. Eodem modo quod vulgum despexisset, quam ob rem κοκκυστὴς ὀχλολοίδορος (Diog. IX, 6) dictus aliquando est, intelligendum esse arbitramur, nempe quia popularem opinionem percussit, sicuti hoc ardens studio acerrime invectus qui simulacra venerati sunt, sacra, vel maxime Dionysia facienda curant, pupugit atque fodit.

In Parmenide atque Heraclito duae quaedem philosophandi rationes tanta acritate alia aliam depugnabat, quae major neque esse neque intelligi potuit. Idem tamen in iis valere vidimus principium, motus perpetui e necessaria quadam lege in entis unionem dissolvendi, ita ut Parmenides motum quemque negaverit, quem quidem ubique viderit et omne esse constituere agnoverit Heraclitus. Quae speculationes ab Empedocle propria quadam ratione cum aliis cogitandi principiis conjunguntur, ut eum partim Eleaticos et Heraclitum imitatum aut certe secutum esse, partim atomisticas, ut brevi dicam, sententias praeformasse aut certe induxisse arbitremur. Una cum Parmenide quidquam gigni negat; nihilominus et nascuntur et exstinguntur res singulares, minus quidem ut denuo creatae, sed conjunctione quadam et dissolutione substantiarum quae nunquam factae mutari possint nunquam. Gigni et dissolvi in mixtura sola posita sunt. Itaque primus quatuor elementa statuit.[1]) Haec vero mistio in mechanico quodam processu sita est, quo alius corporis partes in alius spatia interjecta transeant, ita ut alius corporis aditus et foramina alius respondere debeant partibus.

---

[1]) Arist. Met. I, 4, 985, a, 31.

Namque paria cum paribus facilius miscenda sunt, paria paria appetunt[1]) (τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον).

Quae cum ita se habeant haud scio an Democritum antecesserit, cum foramina vacua, partiunculae individua non sine jure perhibenda esse videantur. Quamquam Empedocles nec vacuum neque individua esse docuit uti Democritus quem potius illius principia constanter exposuisse jam intellexit Aristoteles.[2]) Quonam modo haec procedant Empedoclis judicio interrogaverit quispiam? Primus ille philosophorum vim a materie discernit, qualitates disjungit a rebus, et duas duabus procedendi rationibus facultates supponit: φιλία - νεῖκος. Ad unam vim aut unam rem duas haud reduxit facultates, quamvis haec magis vera sententia non procul abfuerit. Hac igitur re ab Heraclito adeo iuductum sese praebet, ut νεῖκος vim quandam realiter dissolventem, minus eam percipiat, quae ratione sola φιλίᾳ opposita sit. Concursu enim belli cum mundo, qualis erat cum primo initio miscendus esset, (σφαῖρος) disjunctio facta est, postea φιλία pepulit νεῖκος atque novam ad miscendum intraxit materiem, quibus omnibus factis mundus rerum mortalium productus est. Sed cum Heraclitus in ipso motu quietem, pacem vidit in bello, dua ille disjungit momenta neque habet quomodo statuat legem, e qua omnia vel maxime elementa moveri potuerint. Quem ille motum principalem ad originem quandam incognitam, vel potius haud intelligibilem, itaque contingentem revocat.[3]) Etsi igitur animarum migrationem atque amoris et odii vicissitudines eo rectas esse dicit, quod πλατὺς ὅρκος vocat, necessitatis legis numquam mentionem facit, quippequi eorum potius deditus esset sententiis, qui ex individuis omnia constare contenderunt.

Democritus, qui rationem atomisticam non tam condidisse

---

1) Fr. 289. ὡς δ' αὔτως ὅσα κρᾶσιν ἐπαρτέα μᾶλλον ἔασιν
ἀλλήλοις ἔστερκται, ὁμοιωθέντ' Ἀφροδίτῃ
ἔχθρα δ' ἀπ' ἀλλήλων πλεῖστον διέχουσιν ἄμικτα.

2) gen. et corr. I, 8, 325, b, 5. σχεδὸν δὲ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ ἀναγαῖν λέγειν, ὥσπερ καὶ Λεύκιππός φησιν. κτλ.

3) Aristot. gen. et corr. II, 6. τύχη δ' ἐπὶ τούτων ὀνομάζεται, ἀλλ οὐ λόγος. ἔστι γὰρ μιχθῆναι ὡς ἔτυχεν.

quam excoluisse videtur, Eleaticis sese adjungit.[1]) Illi motum negaverant, qui sine vacuo quodam esse nequiret, vacuum vero, ut non ens, existere non posse. Hoc vero non-ens ut solum ens recepit Democritus, non plus valere dixit ens quam non ens.[2]) Ens e multis parvulis constare corporibus, quae in vacuo versentur, quo conjunctionem factam esse putat illorum quae diximus contrariorum. Cum enim omnia ex individuis et vacuo constent, nulla est inter ens et non ens differentia.[3]) Atque ideo aeterna sunt individua, quibus omnia tribuenda sunt praedicamenta ab Eleaticis ad ens relata. Sunt indivisibilia, quia non habent vacua quaedam intervalla, a quibus solis ens vel solidum aut plenum dividi possit, simplicia, neque aliud ab alio distingui potest, cum eo tantum definiantur, quod esse constituunt. Neque enim genere, sed magnitudine aliud ab alio distat: *σχήματι* (*ῥυσμῷ*), *τάξει* (*διαθιγῇ*), *θέσει* (*τροπῇ*). Mechanica, ut ita dicam, ratione omnia ex iis nata sunt, sicuti omnino dynamicus quisque motus ut mechanicus melius secundum eorum sententiam percipiendus est. Qui tamen motus non habet initium, ita ut explicari nequeat; sed si hac de re contingentem illum sibi vocandum esse putavit Empedocles, Democritus omnia necessaria esse duxit.[4]) Quid? vocem contingentis ipsam consilii inopia commoti invenerunt homines?[5]) Aristoteles quidem accusat eum, quod finalis causae relicta indagatione, ad necessitatem quandam rettulerit omnia.[6]) Qua in re omnes a vetustissimis usque ad nostra tempora conveniunt

---

[1]) Arist. de gen. et corr. I, 8.

[2]) Plut. adv. col. 4, 2. *μὴ μᾶλλον τὸ δὲν εἶναι ἢ τὸ μηδέν.* —

[3]) Plut. ib. *δὲν μὲν ὀνομάζων τὸ σῶμα, μηδὲν δὲ τὸ κενὸν, ὡς καὶ τούτου φύσιν τινὰ καὶ ὑπόστασιν ἰδίαν ἔχοντος.* — Democr. fr. phys. I. *οὐκ ἔστι δὲ κατ' ἀλήθειαν ταῦτα, ἀλλὰ τὰ ἄτομα μόνον καὶ τὸ κενόν.*

[4]) Stob. Ecl. I. 160. *Λεύκιππος πάντα κατ' ἀνάγκην, τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν εἱμαρμένην. λέγει γὰρ ἐν τῷ περὶ νοῦ, οὐδὲν χρῆμα μάτην γίγνεται, ἀλλὰ πάντα ἐκ λογόυ τε καὶ ὑπ' ἀνάγκης.* cf. Mullach, Democr. 357, qui *περὶ νοῦ* librum Democrito tribuit.

[5]) Dem. fr. mor. 14, 6. *ἄνθρωποι τύχης εἴδωλον ἐπλάσαντο πρόφασιν ἰδίης ἀβουλίας.* Euseb. pr. ev. XIV. 27, 4.

[6]) Arist. gen. anim. V, 8, 789, b, 2. *Δημόκριτος δὲ τὸ οὗ ἕνεκα ἀφεὶς λέγειν, πάντα ἀνάγει εἰς ἀνάγκην οἷς χρῆται ἡ φύσις.* —

auctores. Quam recte sit quod Theodoretus dixit, Democritum liberam voluntatem ubique negasse, hoc loco non est inquirendum; sed cogitari potest, quomodo illam sententiam aperte ediderit ac praedicaverit, neque eam tantum e doctrina ejus sequi. Idcirco in physica sola naturae explicatione haerens motum quemque e gravitate sequi dixit. Atque individuorum gravitate imparium concursus ac congressus declinari non potest, cum communiter cadant, quare turbinum more moventur rerumque nascuntur varietates. Sin igitur ut supra diximus, opprobrium fecit Democrito Aristoteles, quod respectu causarum finalium naturam rerum non contemplatus esset nos quidem hanc rem concedere debemus; sed mirum quantum, quamvis fortasse etiam rebus ipsis quales essent, inquirendis sese dederit singula humani corporis membra eleganti quadam atque polita aestimatione ad finem quendam pertinere ostendit. Ejusmodi contemplationes gravissima quaedam semina praebuerunt Platoni et Aristoteli qui postea psychologica ratione haec tractaverunt, atque quae de moribus disseruit populares depugnant opiniones paulloque severiora praestant principia, sicuti etiam primus mundanus dici potest. (*ἀνδρί σοφῷ πᾶσα γῆ βατὴ, ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.* Fr. 225.) Itaque videmus, imaginationes et cogitationes eo latius extendi atque eo profundius in rerum veritatem descendere, quo magis universalis illa quae omnia contineat atque coërceat, lex naturae, quae est necessitas, pernoscatur.

Etiamsi igitur causas finales non quaesierit, necessitatis principium solum eum excitavit ad tot tamque excelsas de rerum hominumque conditionibus procreandas sententias. Propius ad Empedoclem quam ad Democritum accedere putamus Anaxagoram, qui quidem Democritum imitatum esse videtur, cum *ὁμοιομερῆ* quae dixit Aristoteles, — *σπέρματα* vel *χρήματα* ipse ea dixisse fertur[1]) — principia statuat. Hac re elucet, id quod psychologo magni faciendum est, res non simplices esse, sed mixtas, videri tamen simplices propterea quod tot rerum mixtarum nulla, qualis sit propria sua vi, cognosci possit, quo fiat, ut commune semper in sensus cadat. Distinctarum qua-

[1]) Zeller, Philos. d. Gr. 2. Aufl. I. p. 673.

rundam rerum qualitatum cognitio in eo posita est, quod materiae cognitae plus contineat res quam ceterarum. Sed haec sententia, quamvis ab Anaxagora multum permutata, illius nequaquam efficit vim ac naturam, quae in eo potissimum constituta est, quod vim quandam moventem extra elementa in eo posuit quem *νοῦν* dixit. Hac quidem re Empedoclem secutus est, qui primus facultatis ideam, ut qualitates a corpore sejunctas, statuerit. Hic *νοῦς* in omnibus rebus genere, i. e. qualitate aequabiliter fusus, magnitudine tantum ac pondere alius in alia exstat. [1]) Quae cum dixerit magnum in illa de casu doctrina progressum fecisse quis negaverit? Namque tunc quidem haud diutius contingens et necessarium inter se pugnant, sed haec quaestio ab alia quadam depulsa est quae illam continet. Spirituale quoddam principium rebus suppositum est, quod omnia excludit contingentia, nec non nudam necessitatem. Spiritus libere agit e propria sua lege. Itaque Anaxagoram aperte contra hanc nostram antinomiam sententiam dixisse traditum est. [2]) Hanc vero cogitationem animum, vel potius spiritum, libere agere, non satis exposuit Anaxagoras, neque eum physicalis explicationis fines excedere, Plato vel maxime in illa quaestione, quae in Phaedone exstat, et post eum Aristoteles demonstrarunt. Quamquam dicta quaedam ejus feruntur, quae eum quod protulerit penitus intellixisse testantur. [3]) Itaque in laetiorem mutasse statum hanc antinomiam Anaxagoram dixerim, qui novum quendam introduxerit conceptum, penes quem regnum philosophiae usque ad nostram fere aetatem permansit. Quid? conatum dixeris ideam illam ad componenda contraria illa, quae antea mentes commoverant, quatenus spiritus alia ex parte liber, itaque contingens est, alia

---

[1]) Simplic. phys. 33, 6. *ὁ δέ νόος ὅσα ἔσται τε κάρτα καὶ νῦν ἔστιν. — κάρτα — καὶ ἦν.* cf. Zeller, p. 681.

[2]) Plut. Pericl. c. 4. *οὐ τύχην, οὐδ' ἀνάγκην διακοσμήσεως ἀρχὴν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον, ἐμμεμιγμένον τοῖς ἄλλοις, ἀποκρίνοντα κτλ.*

[3]) Alex. Aphrod. de anim. 161, a. m. *λέγει γὰρ (Ἀναξ) μηδὲν τῶν γενομένων γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην, ἀλλ' εἶναι κενὸν τοῦτο τοὔνομα.* Plut. plac. I, 29, 5. *Ἀναξ. καὶ οἱ Στωϊκοὶ ἄδηλον αἰτίαν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ (τύχην).*

ex parte secundum legem ideoque necessario agit. Quantam utrumque principium ad hanc spiritus ideam vim habuerit quoad spiritus modo liber et contingens, modo necessitate constrictus perceptus sit nobis quaerendum est, rebus generalibus quales tum fuerint, obiter perlustratis.

Postquam cogitationem humanam ad hanc usque periodum persecuti sumus, liceat nobis adumbrare quid tota illa spectaverit philosophia, quid profecerit. Naturam omnes perquirere et explicare studuerunt. Quod ut assequerentur, duas elegerunt vias, quarum altera res ad principalia quaedam elementa rettulit, quibus rerum natura esset procreata. Sed cum hac via ad leges intelligendas pervenire non possent, minus postea elementa, quam motum spectabant originarium, qui omnia commoveret et regeret. Haec tamen quaerendi ratio procedere non potuit rebus singularibus, in quibus solis perquirendis omnis mechanica posita est scientia, parum cognitis. — Quamquam principia ab iis, quae sic cogitaverant edita sunt et nova et uberrima, quae cognoscendi cupiditatem semper excitabant. Alia ex parte e pia illa, quae innata esse videtur hominum mentibus, opinione, excussi sunt, ut rerum varietatem non admirarentur sed dubitationes alerent de sensuum veritate. Itaque Sophistarum, qui Encyclopaedistae Graeci dici possunt, exstitit aetas. Quorum duces perhibendi sunt Protagoras et Gorgias. Alter ab Heraclito, alter profectus est a Zenone; alter in motum omnia dissolvit, itaque cogitationem quamque variabilem reddit quatenus moveatur, ita ut cogitatio quaeque nihil aliud sit atque arbitrari, omnis scientia simulatio quaedam hominis, qui omnium rerum sit modus.[1]) Gorgias contrarium illud quo omnis agitetur cogitatio, profundius percipere videtur. Cum enim secundum Eleaticorum sententiam unum non possit simul esse multum, omnis subjecti cum praedicato conjunctio impossibilis est.[2]) Nihil non solum esse sed ne percipi quidem, nec dicendo explicari potest. Quae cum ita se habeant, omnis

---

[1]) Theaet. 152, A. *φησί γάρ που πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν.*

[2]) Sophist. 251, B.

dissoluta est scientia, logica quaeque disciplina ad eristicam detrahitur. Haec sententia non solum ad philosophiam sed ad naturalem etiam scientiam pertinuit; astronomiae quoque Pratagoram haud pepercisse testatur Aristoteles[1]), ut id jam omittam, quod mores debilitare et frangere caeco suscepit impetu. Tum jam adeo antinomiae nostrae alteram partem perductam videmus, ut ad calcem eam pervenisse facile intelligamus. Omnia sunt casui obnoxia, nulla viget lex, nulla valet necessitas. Quamquam omnis cogitandi progressus in hac antinomia constanter pertractanda constitutus est, qua sublata omnis tollitur scientia et e qua recte perspicienda et explananda omnis pendet quaerendi profectus. Cum enim omnes scientiae adhuc partae essent negatae neque omnino quidquam cognosci posse concederetur, antiqua illa cogitandi amphibolia forma figuraque recuperata resurgit mentisque pro altera ejus parte studium una cum mundi necessitatis cujusdam legitimae expergiscitur conscientia ac clariore quodam lumine omnium perlucet mentes. Quid? Usque eo omnes illae, quas philosophi persecuti sunt rationes dirimendae atque diluendae videntur, ut nova quaedam atque inaudita cogitandi via nullis tanquam praeoccupata opinionibus ad totam tandem attingendam veritatem magnum capiat initium. Neque habet, quot et quantis cum antiquis cohaereat vinculis, — quantum ad quaerendi viam ac rationem pertinet, — commune quidquam cum illis, quippequae originali quadam quaestione (*αὐτουργὸν τῆς φιλοσοφίας* se ipse dicit Socrates) rerum naturam explicandam curet, neque ejusdem legibus perspiciendis sed animo ipso cognoscendo per analogias quasdam gravissimas eam intellegere studeat, — ut uno dicam verbo, idealis quam nunc vocamus, naturae incipit explicatio, quae revera una cum *ἰδέας* voce instituta, conditionibus quibus idea ipsa inde ab illo tempore subjecta erat, acuratissime respondens usque ad hanc aetatem pervulgata est. Quid quaesierit quispiam aut quale sit simplex illud verbum, quantam propriam habeat vim ad totam fere, quae secuta est, philosophiam adeo nectendam ac cohibendam? Sed hoc ut pateat necesse est vel obiter contemplemur, qualis fuerit rerum

---

[1]) Met. III, 2, 998, 9, 2.

status civilium et litterarum illo temporis momento. Cum philosophia Graeca ad negandi illam Sophistarum rationem pervenit, superiore jam tempore summa illa ac sempiterna Graecorum ingenia perfecerant facinora, quae viva volitant, ut cecinit poëta, per ora virûm. Graecorum urbanitas atque humanitas barbarorum saevitiam memorandis illis devicerat bellis, quae quantum ad Europaeos ab Asiaticis pro humani generis salute distinguendos contulissent, Herodotus et Aeschylus intellexerunt, qui quidem non solum ipse armis dimicaverat, Persarumque opere suo gravissimam illam ediderat sententiam, sed etiam ipse pro magna sua facultate redididerat veram. Namque trium illorum ducit agmen poëtarum, qui cum clarissimas a majoribus et aequalibus res gestas carminibus cecinerit in quibus Melpomener idet et sententiam dicit Clio, tum profundas illas opes in mythis reconditas ad clariorem quandam maturae aetatis conscientiam adaptaverint et accomodaverint. Abundant eorum carmina uberrimis sententiis, quae plena erga Deos pietate, ac severum quoddam et inevitabile praedicantes fatum, cui omnia quae nobis evenire possint, e sapiente quodam moderamine subjecta sint, liberrimas tamen de conditione quae inter Deum et homines intercedat, continent meditationes, quibus Prometheus, humani generis lumen ac species formam figuramque dedit itaque nationis illa ac gentis fides radicibus accisa est. Quod tamen ad res civiles pertinet, fas divinum legi humanae regisque arbitrio Dei voluntatem anteponendam esse edocere non dubitabat Sophocles. Quisnam miretur, quod in his sententiis hominum animi infixi haeserint, id quod Solon jamjam cauto quodam praesagio suspexerat. Non potuit abstergere et compescere populi indies crescentem auctoritatem Aeschylus, cui pristini memor temporis more atque institutis sancitum illum in Eumenidibus opposuit Areopagum. Majores minor secutus est Euripides, quem non sine jure Sophistarum artem ad tragicam poësin adhibuisse vulgo dicunt. Si Aeschylus, ut ita dicam, gentium psychologiam claris quibusdam et magnis docuit exemplis, hominem singularem psychologica ratione introducit Euripides itaque prolabitur chorus, dialogus provehitur et fit facetior atque acutior. Alia ex parte artes quae in fingendis versantur formis magnopere permutatae

2

erant. Ars prius religionum inserviens sanctitatibus ad communem vitae usum revocata, libera facta, liberioribus quoque sese praebuit formis positionibusque ita ut psychologica quaedam momenta, animi affectus perturbationisque sicuti nascerentur, atque animus ipse explicaretur. Sin igitur tum Deum imagine consequi quispiam voluerit, excelsior apparuit Deus uti effigies vel exemplar majorum quorundam hominum, qui ipsi altius spectantes et Deum majoribus praeditum cogitaverint attributis.

Hic erat rerum Atheniensium status et tantas cujusque generis et cogitandi et agendi profecerat res mens humana, cum philosophia Graeca ad Sophistas, negandi auctores, pervenit. Juvenes nempe allicere et corrumpere poterant isti, toti vero populo numquam persuadere, clarissima illa, quae ante oculos habebant, facinora, esse neganda, vel ut ipsi negarent. Aliis floruerunt Encyclopaedistae conditionibus, alia republica, alio litterarum artiumque statu, alio aevo, alia fide. Attamen aeque atque illi, auctores perhibendi sunt Sophistae rerum novarum, quae tum in Prytaneo sapientiae Graecae (Protag. 337, D.) in cogitationis regno prosperrime processerunt. Namque ad sempiterna illa recurrit Socrates populi opera, quotiescunque repellere voluit Sophistarum vim atque impetum. His nisus quae numquam neganda putabat, humani ingenii monumentis, in publicum prodiit, rerumque vim et naturam, quam essentiam dicimus, aeternam esse praedicavit, quam aeternitatem rebus ipsis tribuendam esse arbitrati sunt Eleatici; contra Heraclitus quidem recte judicasse in eo videtur, quod res ipsas quae viderentur, fragiles et caducas esse putabat. Haec ipsa rei ab essentia distinctio, quamvis nunc communis et pervulgata, differentiam posuisse dixerim inter illam quae floruerat philosophiam et eam quam Socrates initiavit. Equidem dubito, quin Socrates ipse hanc quaestionem de rerum essentia in metaphysico jamjam perceperit vel etiam adhibuerit sensu, sed haec ipsa dubitatio, ostendit quemadmodum Socrates ab illa meditatione excitatus fuerit ut priusquam via ac ratione arteque disputatoria eam confirmavit, ad res et reipublicae et scientiae et morum referendam esse putaverit. Necesse esse dixit ut aliquid esse

quod in perpetuum maneret, quod in phaenomenis apparere sed non disparere posset, forma quaedam essentialis quae a rerum contingentia disjungenda esset — quidnam esset quod in Phidiae Jove nos tantopere commoveret, quod admiraremur in Pericle? Namque hanc commotionem et hanc admirationem nemo Sophistarum negare potest! Quid ergo? Qualis sit putamus Phidiaci Jovis vis ac natura? Num invenitur res in tota fere natura, quae eum aequiparet? Minime! An spiritualis quaedam est res Orientali parta speculatione? Immo vero nihil magis ab Orientalibus abhorret quam haec Graecorum ars effectiva. At quidnam est, si neque spiritus est nec corpus? Conjunctio quaedam mira est duorum illorum, quam intuendo percipimus, visio est (Gesicht), quam biblica quadam nominamus voce, praesagium quoddam intiuitivum harmonicae connexionis contrariorum illorum, quae discursiva cogitatione, ratiocinando, numquam coëunt. Haec enim visio harmonicae communionis aeterni cum mortali, necessarii cum contingenti, spiritualis cum corporali, vera est artificii vis ac natura, quam omnes admiramur. Hanc autem visionem, hanc rem intuendo vel potius speculando perceptam, *ἰδέαν* dixit Plato, quae vivo quodam cum Graecorum ingeniis connexu arctissimam illam indicat conjunctionem animi cum corpore. Nova illa facile ad metaphysica relata est sententia. Si Heraclitus quidem dixerat omnia moveri, itaque, Protagoras conclusit et cogitationem quamque prout moveretur, variabilem esse nec veram, alia tamen ex parte Parmenides omnia esse praedicaverat, non esse omnino negaverat, neque unum simul multa esse addidit Zeno, ita ut Gorgias dixerit conjunctionem quamque subjecti cum praedicato, omnem igitur praedicationem, haud omnino dari posse — Plato quidem, Heraclitus, inquit de rebus, quae videantur, recte judicat, sed ad unum ens quod Parmenides dicit nihil valet. Namque id unum ens nihil aliud est atque *ἰδέα*, quae omnibus rebus subjecta conjunctio quaedam perhibenda sit animi nostri cum exteris corporibus, e qua omnino vel intueri vel cogitare possimus. Illa enim sola a nobis cognosci potest *ἰδέα*, quatenus duas illas et animi et corporis contineat conditiones, ac paria paribus tantum cognosci possint. (Hoc sensu Empedoclis

illud adhibitum est!) Itaque unum quiddam aeternum, necessarium repertum est, quod e contingentium emergat varietate, atque in nostrae antinomiae memoria summa illa procreata erat meditatio, quam nunc propter rationem loci, qui ad hanc rem tractandam nobis patet exponere liceat.

Progressus quem secundum leves nostras adumbrationes Platonis fecit cogitatio, in eo potissimum positus est, quod cognoscendi cupiditatem ad animi conditiones duxit omnesque quaestiones psychologica ratione pertractare studuit. Neque solum ad mores corrigendos a rerum natura contemplanda, revocavit mentes sed potius ad animum in suo esse intelligendum; nec tam de moribus disseruit quam psychologiam primus omnium pertractabat. Quaenam esset rerum natura, quaesierant veteres; qualis esset animus, quomodo procederet cogitatio, Plato in disceptationem duxit. Magni facimus momenti, quod priusquam philosopham egit artem, poëta fuisse fertur, fierique potest ut de artis vi ac natura contemplanda commotus fuerit ad animi naturam psychologica ratione perquirendam. Notandum porro est quod rerum essentiam *ἰδέαν*, i. e. visionem, quae lingua vernacula dicitur (Gesicht), itaque e nostra intelligendi facultate, subjectivam dixerit neque objectivam quandam rerum formam perceperit. Attamen est idea illa objectiva rerum substantia, quae quatenus spiritualis sit natura, nostrae soli intelligenda est menti. Sed cum idea illa ut rei cujusque singularis essentia, dari non posset nisi una existeret universalis quaedam omnium rerum idea — namque habemus mundi cujusdam ut universi, quem *κόσμον* nominabant Graeci, conceptum — sequitur, ut illi etiam *κόσμῳ* servetur idea, quae omnes singulares ideas in sua universalitate continet et complectitur. Itaque ab Eleaticis et Heraclito commotus universalem mundi animum recepit, quem quod ad omnes de moribus pertinuit quaestiones, ideam boni nominavit. Re vera tamen unum et idem esse et Deum et mundi animum et boni ideam contendere non dubitamus; ad quod quidem uberius demonstrandum hic descendere non possumus. Tanta premimur iniquitate ut nullo demonstrationis adhibito lumine ac robore, effictas quasdam proponere videamur sententias,

quas vel obiter attingere audemus. Qui vero Platonis philosophiam ut solidam quandam doctrinam, minus ut abrupta quaedam intuetur dogmata, eum fugere non potest illam in hos cogitandi terminos ac fines facile et commode intrare, quamvis contraria quaedam, quae tamen per se ipsa contraria sunt constanti dijudicatione dirimenda sint. Ejusmodi contrariis plena est Platonis philosophia et in metaphysicis rebus et in iis partibus, quae de moribus et de psychologia conscriptae sunt, et qui Timaeus inscribitur dialogus vel maxime, nisi certa quadam ratione et legatur et explicetur, totam ejus philosophiam violasse atque in discrimen adduxisse videtur. Minoris id duco contrarium, quod causis finalibus, quorum summa est idea boni vel *νοῦς*, *ξυναίτια* adjungit, quae non e sapientia, sed e necessitate quadam agant itaque materia ipsa *τὰ δἰ ἀνάγκης γιγνόμενα* (Tim. 52, D.) vocata est. Persuadere nobis nequaquam possumus, Platonem ejusmodi sententiis, quibus abundat Timaeus, propriam suam defecisse doctrinam, nec concedendum esse putamus, illis acceptis mediis, ideas quae causas finales continent exstinctas esse. Plato, qualis in Timaeo exstitit, minus philosophus est, quam physicus ac poëta, et quod ad phiiosophiam meram attinet, hac de re vel maxime admiramur Timaeum, quod quamvis pateant contradictiones atque in omnium conspectum cadant illi tamen qui altius hanc rem dispicere studet, illico conjunctio illa elucet, qua vera ejus philosophia cum Timaei poëticis magis ac physicalibus quam philosophis cohaereat sententiis. Itaque nisi ex animi sententia animum creatum esse exposuisse eum dixerim, tota etiam illa de concurrente ad mundum creandum necessitate sententia, confessio quaedam est philosophi, ideis solis tantam rerum varietatem nos perspicere non posse, cum quaestio illa semper pateat: quonam pacto res ut *ἐκμαγεῖα* ex ideïs illis profectae sint? Hanc ad rem explanandam *ξυναίτια* adhibuit, quae sub specie aeternitatis eum cogitasse nemo unquam negaverit. Neque enim ut res quae casui obnoxiae essent perceptae sunt, ita ut casui in mundo creando ocus aliquis cederetur, sed potius ut res necessariae, intelligentiae summae, ideae boni, qui est summus scopus,

subjectae sunt[1]). Media igitur sunt quibus nos quidem pro exigua nostra mentis acie rerum naturam intelligere possimus atque ea tantum ratione media sunt mundi creandi, quatenus sit intelligibilis[2]). Nisi nobis verendum esset ne fines qui huic tam gravi positi sunt quaestioni, excederemus, uberius hac de re disserendum nobis esset, ut pateret, Platonem in Timaeo sententias illas principales non permutasse sed miris quibusdam formis denuo praedicasse, neque eum quod vel maxime ad rem nostram pertinet inanem redidisse progressum illum, quem in nostra antinomia fecerit, cum casum minus per dogma quoddam excluserit sed eum negandum esse eo ostenderit quod non solum quaestio nulla, id quod Pythagorei dixisse videntur, sed ne cogitatio quidem ipsa dari possit, nisi eum constanti atque ingeniosa doctrina dissolverimus; et haec est de ideis doctrina, quam adhuc inde ab Aristotele usque ad nostra fere tempora perperam judicatam esse ex animi sententia profiteor, quamvis Kantius[3]) multis tam claris locis meliorem de his rebus tam subliomibus aperuisse videtur conceptum. Nobis sufficiat breviter significasse, Platonis hanc de ideis doctrinam antinomiam nostram magnopere profecisse; nunc videbimus, quomodo Aristoteles illam magistri doctrinam hujus rei solius respectu excoluerit atque persecutus sit.

Aristoteles a fundamentis quae Plato jecerat, profectus est; esse oppositum esse *τῷ* non esse, et ipse docet[4]). In entis cognitione solam ponit scientiam, cum caetera sicuti Platoni *δόξαν*, ita illi *ἐμπειρίαν* componant. Causarum vero cognititonem philosopha scientia sola dare potest quae non ejus quae est scientia sit sed causarum, non possibilis, sed abso-

---

[1]) Tim. 68. E. *ταῦτα δὴ πάντα τότε ταύτῃ πεφυκότα ἐξ ἀνάγκης ὁ τοῦ καλλίστου τε καὶ ἀρίστου δημιουργὸς ἐν τοῖς γιγνομένοις παρελάμβανεν... Χρώμενος μὲν ταῖς περὶ ταῦτα αἰτίαις ὑπερητούσαις κτλ.*

[2]) ib. *τὸ δὲ ἀναγκαῖον ἐκείνων χάριν, λογιζόμενον ὡς ἄνευ τούτων οὐ δυνατὰ αὐτὰ εἶναι, ἐφ' οἷς σπουδάζομεν μόνα κατανοεῖν οὐδ' ἄο λαβεῖν οὖδ' ἄλλως πως μετασχεῖν.* —

[3]) Kant, Kritik d. reinen V. ed. p. S. 320—328.

[4]) Met. IV, 2, 1004, 6, 18. Analyt. post. II. 19, 100, a. b.

luti.[1]) Adhuc semper Platonicum sese praebet nec principaliter ab eo distat, sed quaestiones solvere conatur, quae a Platone expeditae non erant; quomodo hoc ei contigerit, brevi exponamus. Ad rerum explicandam naturam idearum regnum ei opposuerat, quae quanta essent aeterna veritate haberent cur variae illae existerent rerum vicissitudines. Attamen veram si ideae continere debeant causam eorum quae fiunt necesse est ut in ideis lex quaedam sit, e qua rebus sese praestent quae fiunt, necessitas quaedam data sit, ut in phaenomenis appareant; quae nisi adderetur essentiae vel ideae, existendi necessitas, etiam atque etiam quaerendum esset, quonam pacto ex idea, quae est res nascerentur. Sed si ad ideae pertinet vim ac naturam ut res fiat, ergo idea, quatenus est idea, idea est rei existentis, i. e. idea ipsa exstinguitur, fitque forma, quae omne continet esse, rei quae est materies, subjicitur adeoque Platonis more substantia (ὑποκείμενον dicitur;[2]) sed quis est qui nesciat, multo arctius hac Aristotelica conjunctione esse et fieri connexa esse. Cum autem forma sine materie cogitari non possit, facere non potuit quin materiam ipsam ut substantiam perciperet[3]) itaque rerum existentium cognitio, vera quaedam est scientia, ac philosophiae commendatur, ut res interepretetur singulares[4]). Namque in iis, res singulares dico, omnis sita est realitas. Materies ipsa non est substantia, quia non est realis[5]) neque vero forma carere potest materie[6]), mate-

---

[1]) Met. I, 1, 981, a, 28 Niv. Eth. VI, 3, 4, 1139, b, f. *πάντες υπολαμβάνομεν ὅ ἐπιστάμεθα, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν,.... αἴδιον ἆρα. τὰ γὰρ εξ ἀνάγκης ὄντα ἁπλῶς πάντα ἀίδια κτλ.*

[2]) Met. VII, 4, 1030, b. 5. c. 7. 1032, 6, 2. 14 *εἶδος λέγω τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν,... λέγω δὲ οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.*

[3]) Phys. I, 9, gen. et corr. I, 4. *ὥςτε δὲ ὕλη μάλιστα δὲ καὶ κυρίως τὸ ὑποκείμενον γενέσεως καὶ φθοράς δεκτικόν κτλ.* Met. I, 3, 983, a, 29.

[4]) Mat. I, 9, 992, 2, 24, *ὅλῶς δὲ ζητούσης τῆς σοφίας περί τῶν φανερῶν τὸ αἴτιον.*

[5]) Met. VII, 3, 1029, a, 27. *ἀδύνατον δὲ καὶ γὰρ τὸ χωριστὸν καὶ τὸ τόδε τι ὑπάρχειν δοκεὶ μάλιστα τῇ οὐσίᾳ, διὸ τὸ εἶδος καὶ το ἐξ ἀμφοῖν οὐσιά δόξειεν ἂν εἶναι μᾶλλον τῆς ὕλης.*

[6]) ib. VIII, 1042, a, 32. *ὅτι δ' ἐστὶν οὐσίά καὶ ἡ ὕλη δῆλον. ἐν πάσαις γὰρ ταὶς ἀντικείμέναις μεταβολαῖς ἔστι τὸ ἀποκείμενον ταῖς μεταβολαῖς.*

ries igitur possibilis est, forma realis (*δυνάμει ὂν—ἐνεργείᾳ ὄν*). Haec vero forma nulla alia esse potest atque illa a materie prorsus liberata, cum ea nequaquam composita; illa enim quae materiae subjecta est forma ab illa quae et ipsa substantia prohibeter et dicitur dependet, sicuti ipsa illam ponit; vere realis quae dam forma *νοῦς* est, Platonica *ἰδέα*, ad quam Aristotelem tandem recurrere videmus. Quoad res solas metaphysicas haec inter Platonem et Aristotelem differentia pertineat, hic non sequar; quantum autem ad rerum naturalium indaga tionem permutandam contulerit ex eo vel maxime cerni licet quod rem singularem, quatenus e forma et materie composita sit substantiam dixerit.[1]) Ac si aliquando res singularis (*τόδε τι*) substantia dicta est necessario sequitur ut rerum singularium universalitatem eo magis substantiam dixerit[2]). Quam cum amplecteretur sententiam, animum ad res singulares perquirendas intendit, itaque rationem illam quam qui ante Socratem floruerant philosophi persecuti sunt, cum nova illa Platonis ratione connectere conatus est. Quod enim Plato docere non poterat quomodo res ex idea nascerentur, id explanare studuit Aristoteles. Itaque *ἐμπειρίᾳ* nititur, e qua omnis proficiscatur scientia[3]). Hac in duplicitate continuo versatur, qui et materiem et formam aeternam esse dixerit, si ex iis natura rerum constet et evolvatur. Haec autem evolutio e necessitate quadam legitima atque aeterna procedat necesse est, quae nisi existeret alterius ad alteram attractio, ab altera ad alteram motus, tum quamvis aeterne nullum inter se haberent connexum, nullam conditionem, neque ad rerum naturam explicandam essent adhibendae. Motus igitur ut entelechia iis ad-

---

[1]) ib. IV. 3, p. 242. *οὐσιάι δὲ τρεῖς. „ἔτι τρίτη ἡ ἐκ τούτων ἡ καθ' ἕκαστα. οἷον Σωκράτης ἤ Καλλίας.*

[2]) ib. VII, β, p. 130. *λέγεται δὲ ἢ οὐσιά εἰ μὴ πλεοναχῶς, ἀλλ' ἐν τέτταρί γε μάλιστα, καὶ γὰρ τὸ τί ἦν εἶναι καὶ τὸ καθόλου καὶ γένος οὐσιὰ δοκεῖ εἶστε ἑκάστου καὶ τέταρτον του των τὸ ὑποκείμενον.* cf. Trendelenburg, Comment. ad Arist. de anima libro p. 327. Au denique genus h. l. *ουσιά* eadem ratione dictum, qua *δεύτερει οὐσιάι* in categoriis? Quaestio in medio relinquenda. —

[3]) Analyt. post. II, 19, 100, a. *ἐκδὲ ἐμπειρίας τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης.*

jungendus est[1]). Ex aeternitate illa motus, qui tot contenditur locis, necessario sequitur, ut mundus neque initium habere possit nec finem. Quae autem sententia, cum dogmaticas illas et theologicas de mundi creatione depugnet opiniones, fundamenta jecit verae naturalis scientiae, quae ab Aristotele profecta est. A veteribus illis qui Socratem antecesserunt philosophis eo vel maxime distat, id quod ipse et vidit et edidit quod illi finalem causam (*τὸ οὗ ἕνεκα*) numquam, aut certe non satis aperte, perscrutati sunt, cujus cognitionem scientiae summam esse dixit. Sicuti in psychologia ascendentem quendam animantium ordinem statuit ita ut animus totum fere vitalium orbem amplecteretur, sic naturae quoqne in sempiterno ejus motu immortalem tribuit vitam[2]), quam cum evolveret ad finem quamvis incognitum operari putavit. Atque in hac ad finem quendam attiugendum operatione posita est rerum pulchritudo naturalium, quoad contingentes nequaquam esse possunt.[3]) Namque haec illi est conditio, e qua omnis pendeat rerum investigatio[4]), propterea quod cogitari non possit magnitudinem illam et majestatem naturae, quae tam commode ad consensaum convenientiamque coëat ad casum esse referendam. Sed cum naturae vis in eo posita sit quod principium motus et quietis *ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως*) in se habet cum quod natura non constat principium illud partim *ἐν ἄλλοις καὶ ἔξωθεν*, sicuti domus partim modo in se habeant sed *κατὰ συμβεβηκὸς* tantum, minus *καθ αὑτὰ* (Phys. II, 3)

---

[1]) Phys. III, 1, 201, a. 10, 6, 4. *ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ᾗ τοιοῦτον κίνησίς ἐστιν.* —

[2]) Phys. VIII, 1. *πότερον δὲ γέγονέ ποτε κίνησις οὐκ οὖσα πρότερον, φθείρεται πάλιν οὕτως ὥστε κινεῖσθαι μηδὲν, ἢ οὔτ' ἐγένετοοὔτε φθείρεται, ἀλλ' ἀεὶ ἦν καὶ ἀεὶ ἔσταν καὶ τοῦτ' ἀθάνατον καὶ ἄπαυστον ὑπάρχει τοῖς οὖσιν, οἷον ζωήτις οὖσα τοῖς φύσει οννεστῶσι πᾶσιν*; —

[3]) De coelo I, 4. *ὁ θεὸς καὶ ἡ φυσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν.* Eth. Nic X, 2, 1673, a. 4. *ἴσως δὲ καὶ ἐν τοῖς φαύλοις ἐστί τι φουσικὸν ἀγαθὸν κρεῖττον ἢ καθ ἀυτά, ὅ ἐφίεται τοῦ οἰκείου ἀγαθοῦ.* Phys. II, 2, 194, a, 28. *ἡ δὲ φύσις τέλος, καὶ οὗ ἕνεκα.* de onima II, 4, 415, b, 16.*ὥσπερ γαὶ ὁ νοῦς ἕνεκά του ποἰεῖ, τὸν αὐτὸν τορόπον καὶ ἡ φύσις.*

[4]) De coelo II, 8 389, 6. 26. *ουκ ἐστιν ἐν τοῖς φύσει τὸ ὡς ἔτυχεν, οὐδὲ τὸ πανταχοῦ καὶ πᾶσιν ὑπάρχον τὸ ἀπο τύχης.*

sequitur ut natura ex intima[1]) lege finem persequatur, in qua operatione essentia naturae ejusque forma perspiciatur. Forma autem cum sit substantia, ad quam solam cognoscendam res singulares physice tractandae sint summa naturalis philosophiae causarum finalium explicatio dicitur.[2]) Sed cum necesse sit physico, ut formam et materiem simul contempletur — id quod veteres philosophi Empedocle et Democrito exceptis[3]) neglexerant — quatenus forma sit (ὑποκείμενον) materiae substantia, et materies formae, fieri non potuit, ut in hac ideali saepius ac teleologica consisteret aeterna explicatione itaque revera ad subtilissimas rerum naturalium investigationes progressus est Aristoteles. Namque in rebus singularibus perquirendis causa finali jam perspecta sibi satisfecisse credere non potuit, sed alias quasdam causas quaerere debebat. Quatuor accepisse eum constat causas: materiae, formae, motus, finis.[4]) Cum autem causa finalis ut motus principium quoque percipi possit haec duae causae in unam incidunt. (ἀλλὰ τὸ μὲν ὡς τέλος τὸ δέ ὡς ἀρχὴ κινήσεως) Eodem quoque modo in forma, finis positus est, ita ut duae tantum reliquae sint causae, quae Aristotelis more exstare debent, quorum altera in forma, altera jaceat in materie; altera causa finalis atque libera, altera necessatis conditio atque ipsa necessaria (ἐν γαρ τῇ ὕλῃ τὸ ἀναγ καῖον, τὸ δ'οὗ ἕνεκα ἐν τῷ λόγῳ) Hanc vero cognitionem, necessarias quasdam dari causas naturales, quarum pro scientia nostra ejusque instrumentis finis non sit perspiciendus, capere debebat e natura acurate pertractata, itaque hac de re deliberationem in naturae explicationem introduxit, sicuti edidit naturae investigationem necessita-

---

[1]) gen. an. II, 6, 144, 6, 4. ubi natura intellectui humano (θυραθεν νοῦς) opponitur. cf. Zeller, Phil. d. Gr. II, 2. p. 325.

[2]) Phys. II, 9, 200, a, 32. καὶ ἄμφω μει τῷ φυσικῷ λεκτέαι αι αἴτίαν, μᾶλλον δέ ἡ τίνος ἕνεκα. Part. anim. I, 1, 639, 6, 14. φαίνεται δὲ πρωτη ἥν λέγομεν ἕνεκά τινος.

[3]) ἐπὶ μικρὸν γαὶ τι μέρος Ἐμπεδοκλῆς καὶ Δομοκριτος του είδους καὶ τοῦ τί ἦν εἶναι ἥψαντο. ib. 71.

[4]) Phys. II, 3, 194, 6, 23. ἕνα μὲν οὖν τγόπον αἴτιον λέγεται τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπαρχοντος... ἄλλον δέτὸ ἕιδος καὶ τὸ παράδειγμα. τοῦτο

tem illam naturalem neque explicabilem evitare non posse, ita ut satisfecisse arbitretur, si id perspexerit, quod plerumque fieri solate[1]). Ut enim jam apud Platonem vidimus, materiam cum *τὰ δι' ἀνάγκης γιγνόμενα* dixisse, et Aristotelem haec repetiisse is non admirabitur, qui intellexerit Aristotelem usque ad finem e Platone pendere, etsi concedendum est, eum illius principia clariore sed didisse ac subtiliore demonstratione in omnibus philosophiae disciplinis adhibuisse. Aeque ac Plato et Aristoteles ipse in materia cooporanda (*συναίτια*) ad rerum naturam procreandam obstaculum videt, quominus omnes naturae fines impetrentur, itaque materies causa est, necessitatis illius naturalis i. e. incognitae illius ad finem operationis, passivitatis (*τῆς μὲν γάρ ὕλης τὸ πασδχειν ἐστὶκαὶ τὸ κινεῖσθαί, τὸ οὲ κινεῖν καὶ ποιεῖν ἑτέραζ δυνὰμεως.* gln. et corr. II p. 335. 6, 25. Hoc alio sensu hauc contingentis ideam percepit Aristoteles et jure ac merito profiteri potest se primum hauc ideam clare et aperte explicasse et adhibuisse. (Phys. II, 4). Namque veteres philosophi si casum ut principium non statuerunt, cum ex eo hoc factum, quod *οὐδεν ῷοντο οὐδ' ἐκεῖνοι εἶναι ἀπὸ τύχης* (3) qua re ad novas excitati sunt quaestiones, tum ex ea, quod idea ille illis tanta perspicacitate non patuit, quanta Aristoteles eam perceperit. Cum causas finales omnium rerum constanter et pertinaciter non inquirerent, intelligere non poterant' eas sölas res pro defectu mentis nostrae casui subjiciendas esse quae perspicere non possimus. Certa via ac ratione iis se opposuit Aristoteles. Sunt qui casum coeli omnium rerum cosmicarum habuerint causam, cum plantarum atque hominum generationem a casu excludendam esse arbitrati

---

δὲ ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι...ἔτιὸθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρωτη ἤ τῆς ἠρεμήσεως ...ἔτι ὡς τὸ τέλος τοῦτο δ'ἐστινὸ τοῦ ἕνεκα. Met. I, 3. *τὰ δὲ αἴτιαιλέγεται τετραχῶς, ὥς μίαν μὲν ὥτίαν φαμὲν ἔιναι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ἑτὲραν δὲ τῆν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ αρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν.* Notandam esse putamus ordinis differentiam inter locos, atque *τὸ οὗ ἕνεκα* ultimum obtinere locum in utraque dispositione.

[1]) Part anim. III, 2, 663, b, 27. Met. II, 3. *τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.* —

sint alii eum accipiunt, sed adeo erigunt, ut ab intelligentia humana intelligi non possit.[1]) Omnes illas depugnat rationes ut principio carentes vero, aliaque illa, posthibita quaestione, utrum casui natura obnoxia esset an necessitati, eo illam mutavit quaerendi rationem, utrum casus regeret mundum an causa finalis. Itaque casus ut in materie positus obstaculum finalis cujusdam operationis perhibetur namque casus neque earum rerum causa esse potest quae *ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀεὶ* sunt neque earum quae *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*. Cum autem finem et ea habere possint, quae necessario non fiunt, et finis etiam sine praeelectione dari possit, (*κατὰ προαίρεσιν*), id quod sine praeelectione consilium quoddam efficere videtur, contingens nominabimus.[2]) Itaque casus ipse finalem operationem explicat, sed eam, quae ad finem illum attingendum non ultro aggreditur, sed in aliis quibusdam finibus necessariis, (*κατὰ συμβεβηκός*) cooperans, illum attingit finem.[3]) Quia igitur casus accidentalis tantum esse potest causa (*τοῦ ἀορίστου καὶ ἄδηλος ἀνθρώπῳ*) (V. 6) hoc sensu, sed hoc tantum sensu, contingentis natura ut causae accidentalis perspecta, dicere licet: *καὶ τὸ φάναι εἶναί τι παράλογον τὴν τύχην, ὀρθῶς* (8). Nam cum nullum certum spectet finem incertus est casus ad intelligendum (*ἡ γὰρ τύχη ἀβέβαιος* (9). Nihilominus edidit Aristoteles, etiam has accidentales causas in propiores et remotiores distinguendas esse[4]) id quod clare ostendit casum ab eo nequaquam ut omnia omnino excluden-

---

[1]) *ἐισί δέ τινες οἷς δοκαῖ εἶναι αἰτιά μὲν ἡ τύχη, ἄδηλος δ᾽ἀνθρωπίνῳ διανοίᾳ, ὡς θεῖοντι οὐσα καὶ δαιμονιώτερον.* ib. 9.

[2]) Analyt. post. I, 4, 73, a, 34, b, 10. de coelo I, 12, 283, a, 32. *τὸ μὲν γὰς αὐτόματόν ἐστι καὶ τὸ ἀπὸ τύχης παρὰ τὸ ἀεὶ, καὶ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ ἤ ὂν ἢ γινόμενον.* — Phys. II, 3. *εἰ δὲ προελόμενος καὶ τούτου ἕνεκα, ἢ ἀεὶ φοιτῶν ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ κομιζόμενος, οὐκ ἀπὸ τύχης δῆλον ἄρα οτι ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του. διὸ περὶ αὐτὸ διάνοια καὶ τύχη. ἡ γὰς προαίρεσις οὀκ ἄνευ διανοίας* (5).

[3]) Part. aeim. IV, 2, 677, a, 15. Mel. 4, 1044, b, 12. *ἀλλὰ τοῦτο συμβεβηκὸς.*

[4]) Phys. II, 5, 8. *ἔστι γαὶ ἄλλα ἄλλων ἐγγύτερα τῶν κατὰ συμβεβηκὸς αἰτίων.*

tem cognitionem vel finem perceptum esse, sed potius ut causam quamvis accidentalem, quippe quae quo minus impedita est ac pervoluta, eo magis et facilius cognosci possit.

Neque vero huic nostrae obstat expositioni, quod Aristoteles ipse interdum de casu non salis caute atque eleganter disseriut, et ubi finis naturam ut formae consilio agentis exponere voluerit, casum esse omnino infinitum, essendi et non essendi possibilitatem continere itaque ad non esse propius accedere contendit.[1]) Namque ejusmodi dicta asperrimae quaedam principii expositiones habenda sunt, nec relinquendam putamus definitionem illam, quam supra propossuimus, e qua casus sit accidentalis quaedam causa actionis, quae ex praeeleotione non esset proposita.[2]) Quae quantum valeat distinctio ex eo vel maxime apparet, quod ad casum ut causae genus percipiendum inter *τύχην* et *αὐτόματόν* haud contemnendam facit differentiam. *αὐτόματον* latius patet quam *τύχη* (*τὸ γὰρ ἀπὸ τύχης ἀπὸ ταὐτοματου, τοῦτο δ᾽οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης*) *τύχη* ponit actionem.[3]) Id vero quod externam habet causam, nec praeclectionem, ac factum est illo fine haud spectato, qui revera est effectus *ἀπὸ ταὐτομάτου* factum esse dicitur. Aristoteles hanc significationem etiam in verbi vi atque natura i. e. etymologia indicatam esse putat, cum etiam *μάτην* significet finem haud effectum esse qui spectatus

---

[1]) De interp. c. 9, 19, a, 9. *ὅτι ὅλως ἐστιν ἐν τοῖς μὴ ἀεὶ ἐνεργοῦσι τὸ δυνατὸν ἐιναι καὶ μὴ ὁμοίως.* Met. VI, 2, 1027, a. 13. *ὥστε ἡ ὕλη ἔσται αἰτιά, ἡ ἐνδεχομένη παρὰ τὸ ὥς ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως τοῦ συμβεβη κότος.* V, 30. 1025, a) 24. *οὐδὲ δὴ αἴτιον ὡριςμένον τὐδὲν τοῦ συμβεβη κότος, ἀλλὰ τὸ τυχὸν τοῦ δ᾽ ἀόριστον.* Met. VI, 2, 1026, 6, 13.*φαίνεται γὰρ τὸ συμβεβηκὸς καὶ ἐγγυς τε τοῦ μὴ ὄντος.*

[2]) Phys. II, 6, 197, 6, 19. *ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται, οὗ ἔξω τὸ αἴτιον.* cf. Zeller, Philos. de Gr. ed. alt. II, 2 p. 254. ubi plura collata sunt de casu emxempla.

[3]) *ὅλως πρᾶξις, διὸ καὶ ἀνάγκη περὶ τὰ πρακτὰ εἶναι τὴν τύχην.* Hoc sensu quo *τὺχη* est *πράξις* cum libera voluntate conjungitur et ex ea ad cOntingens concluditur. cf. de interpr. c. 9, 18. b, 31, 19, a, 17. Trendelenburg, Elem. logices p. 64, § 7 sub finem, qui contingentiam divídit in eam quam nos pro nostra sermonis consuetudine, Zufälligkeit, eteam, quam Freiheit dicimus. cf. Eth. Nic. VI, 2.

sit. Itaque res naturales omnes sunt *ἀπὸ ταὐτομάτου*, quamvis natura interna habeant causam, idcirco quia rebus singularibus finalis illa atque sibi conscia deest actio.

Attamen hic non omittendum est quod de natura universa praedicavit, ne in animum sibi inducat quisquam opinionem, alteram alteram depugnare Aristotelis sententiam. Namque in rerum natura, quae omnes complectitur res singulares, causa finalis dominatur (*ἔστιν ἄρα τό ἕνεκά του ἐν τοῖς φύσει γιγνομένοις καὶ οὖσιν* Phys. II, 7, 3) neque alio quodam modo casus cogitari potest atque in rerum singularium concursu. Hoc quoque sensu causa posterior dicitur casus, prior enim in fine acurate spectato posita est.[1]) Quae cum ita se habeant rebus vere perspectis nullum datur contingens, quippe quod nonnisi in rebus singularibus dari possit, cum tota rerum natura, quae ad convenientiam atque harmoniam accomodata est certam atque intelligibilem habeat causam, quam optimus quisque physicus, cui universa perquirenda est natura, perscrutari et exponere et debet et solet. Haec sunt, quae de Aristotelis sententia, quod ad nostram attinet antinomiam, afferenda nobis videbantur, quem novum quoddam illi adhibuisse lumen nemo erit quin dubitet.

Omnia alia, quae Amplissimo Philosophorum Ordini tradideram hac occasione typis excudere non potui.

---

[1]) *ὕστερον ἄρα τὸ αὐτόματον καὶ ἡτύχη καὶ νοῦ και φύσεως. ὥστε εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ ὀυρανοῦ αἴτιον τὸ αὐτόματον, ἀνάγκη πρότερον νοῦν καὶ φόσιν αἰτίαν εἶναι καὶ ἄλλων πολλῶν καὶ τουδὶ παντός.*

VITA.

Natus sum Hermannus Cohen, Cosviciae, urbe Auhaltina, die XXIV. m. Julii a. h. s. XLII, patre Gerson, matre Friderica, e gente Salomon, qui uti mihi diu serventur, quotidie precor. Fidei addictus sum veteri. Primis litterarum elementis ab ipso patre imbutus, schola urbana, quae tum Julio Hoffmanno Rectore florebat, absoluta, gymnasium Dessaviense adii, quod usque ad secundum ordinem frequentavi. Tum inter sodales seminarii judaico-theologici quod Vratislaviae auspiciis ill. Zachariae Frankel floret receptus sum. Deinde Theologicis scholis relictis, m. Octobri a. h. s. LXI almam academiam Vratislaviensem petii, ubi ab Ill. Semisch, t. t. Rectore magnifico inscriptus, apud Ill. Haase t. t. ordinis Philosophorum Decanum, nomen dedi. Per tres annos scholis interfui cum philologicis tum philosophis virorum Ill. Braniss, Bernays, Behnsch, Haase, Heidenhain, Junkmann, Karow, Lübbert, Roepell, Rossbach, Westphal. Maturitatis testimonio instructus sum a gymnasio regio St. Matthiae Vratislaviensi. Die III. m. Augusti a. h. s. LXIII libellus de Platonis et Aristotelis psychologia, Philosophorum ordini a me traditus, praemio ornatus est. — Ad conficienda studia ante hunc annum universitatem Berolinensem adii, ubi ab Ill. Trendelenburg, t. t. Prorectore receptus et ab Ill. Braun, t. t. Pholosophorum Decano, civium academicorum numero adscriptus sum. Scholis usus sum virorum Ill. Boeckh, Du Bois Reymond, Haupt, Steinthal, Trendelenburg, Werder. Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo quam maximas. Quadriennio absoluto, examine rigoroso rite superato, spero fore ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in philosophia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Omnem philosophiae progressum in psychologia constitutum esse.

II.

Aristotelis metaphysicam e Platonis pendere.

III.

Aeschylum non caecam sed justam credidisse necessitatem.

IV.

Spinozam libertatem humanam nequaquam sustulisse.

V.

Platonis Convivium post Phaedonem scriptum esse.